



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

505. An dare possit licentiam ingrediendi monasteriæ Monialium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)



eam concessionarius exerceat tanquam sedis Apostolicæ delegatus, quod additum aliàs esset superfluum. Dian. *loc. cit.* nisi forte addita quoque esset particula etiam, utpote quæ implicat jurisdictionem quoque ordinariam, ut dictum à nobis supra *loc. cit.* ex Fagu. Ad secundum dicitur pari modo Capitulum sede vacante non posse cognoscere de causa hæresis, quò ad exemptos; cum non nisi potestate sibi delegata per *c. ad abolendam de Hæret.* seu tantum tanquam sedis Apostolicæ delegati hæc faciant Episcopi, neque enim dicendum (ut vult Monet. & ut non rectè admittit Dian.) hæc dein facultatem, seu jurisdictionem tam Episcopis, quam Capitulo sede vacante concessam ut ordinariam: quippe sine ulla amplius mentione facta de autoritate Apostolica, seu ut procedant tanquam sedis Apostolicæ delegati per *Clem. 1. de Hæret.* non fiat ulla mentio exemptorum. Ad tertium dicitur, quod loco confirmationis additur; dicendum, quòd licet Episcopi habeant illam facultatem visitandi exemptos à jure communi, habeant tamen eam à canone non tanquam ordinariam, sed ut delegatam. Dian. *loc. cit.* nam tam à jure communi, seu canone, quam Concilio concedi potest jurisdictione delegata, & non omnis jurisdictione concessa à jure communi est hoc ipso statim ordinaria. Ad quartum, nimirum quòd rationi consentaneum non sit, adeò que intentio Concilii non fuerit, ut moniales exenpta toto tempore sedis vacantis careant gubernatore, nec habeant, ad quem recurrant, & à quò, si necessarium, visitentur. dicendum, quòd ingruente necessitate, quæ dilationem, aut recursum ad sedem Apostolicam non patiatur, posse tam quò ad exemptos tam in negotio visitationis quam alto, de quo agitur, procedi à Capitulo sede vacante, pro ut sententiam hæc negativam limitant Cuchus. l. 2. *instruat. major.* & alii apud Dianam *loc. cit.* & quidem jurisdictione ordinariâ; quippe in casibus urgentis necessitatis intrat jurisdictione ordinaria Capituli, non secus ac eaintrat & ex ea procedere possit Episcopus, licet nullam potestatem delegatam haberet. Dian. qui etiam in fine *citat. resolut. 14* ex Baunio addit, admonendum à Vicario Capituli Papam de re integra, & si intra semestre à literis ad eum datis malo non succurratur, cum videri, honestam rationem habere Capitulum animadvertendi in fontes. quòd si (quod ut ait, existimat verius) facere id non potest, res videtur committenda Deo, aut ad novum Episcopi adventum remittenda.

**Questio 504.** *An igitur possit Capitulum sede vacante concedere monialibus exemptis, & Papa immediatè subjectis licentiam exeundi monasterio in casu urgentis necessitatis?*

**R** Esp. si lubet inhære jam immediatè ante traditis, posse id Capitulum sede vacante, ubi necessitas est gravis, quæ recursum ad Papam non patitur, si enim id in eo casu potest Episcopus, non tam potestate & jurisdictione delegatâ quam ordinariâ (quæ, ut dictum paulò antè, intrat in casu urgentis necessitatis) poterit id ipsum Capitulum, utpote in quod transit potestas Episcopi ordinariâ. Ita tenet Dian. *cit. resolut. 14.* citans Tho. Sanchez. *tom. 2. sum. 1. c. 15. n. 30.* & addens rationem, quia monasteria hæc non debent esse absque Prælato, ad quem in casu necessitatis confugiant. Quomo-

do verò id sequatur ex dictis, & cum illis cohæreat, quod ibidem quoque ex Sanchez ait Dianat posse Capitulum sede vacante concedere licentiam monialibus egrediendi monasterio in casibus permittis in Bulla Pii V. quæ incipit: *Decoris & honestati.* quam vis id pertineat ad Episcopum tanquam sedis Apostolicæ delegatum, id inquam, non video; cum quæ delegata tantum sunt jurisdictionis, ab Episcopo ad Capitulum non transeant juxta dicta ab ipso Diana. *quest. preced.* Multò minùs subsistit & dictis convenit, quod tradit Baunius. *theol. mor. tom. 1. tract. 11. q. 24.* apud Dianam *loc. cit. resolut. 39.* nempe posse Capitulum sede vacante monialibus immediatè subjectis Papæ dare licentiam egrediendi claustrum ex causa; quia Vicarius Episcopi eandem cum eo jurisdictionem habet: ac Episcopo competit jurisdictione delegata in moniales exemptas quò ad egressum è claustrum juxta Trident. *sess. 25. de regular. c. 9.* & Capitulum sede vacante vices agit Episcopi mortui: ergo hæ ab eo sede vacante facultatem egrediendi domo ex causa impetrare poterunt, cum esse non debeant sine Prælato, ad quam confugiant, hæc inquam non cohærent cum dictis *quest. preced.* ex parte tenentium sententiam negativam, nam juxta *ibi dicta*, etsi Capitulum suo modo dicatur Vicarius Episcopi, non tamen in illud transeunt, quæ is ex pura delegata facultate, & jurisdictione potuit. Proinde & ipse Diana *cit. resolut. 39.* rejecit hæc Baunii doctrinâ concludit: sed hæc opinio non est admittenda stantibus declarationibus S. Congregationis.

**Questio 505.** *An Capitulum sede vacante dare possit licentiam ingrediendi monasteria monialium?*

**R** Esp. Affirmativè. Dian. *loc. cit. resolut. 49.* citans Pellizar. *tract. de monial. sess. 5. n. 148.* ubi ex Suarez probat, sub nomine Episcopi in verbis Concilii *sess. 25. c. 5. de regular.* (ubi id concedit Episcopis) venire etiam Capitulum sede vacante, & consequenter Vicarium Episcopalem; cum succedat in ordinaria jurisdictione Episcopali.

**Questio 506.** *An Capitulum sede vacante dare possit licentiam novitiis, ut disponant de bonis temporalibus?*

**R** Esp. Potest Capitulum sede vacante dare licentiam, ut novitii intra duos menses ante professionem disponant de temporalibus suis bonis juxta Trident. *sess. 25. de regular. c. 16.* potest enim id Episcopus jure ordinariò; Capitulum autem succedit in omnem jurisdictionem ordinariam Episcopi. Barbol. *juris eccles. l. 1. c. 32. n. 90.* citans Sanchez. in *Decalog. tom. 2. l. 7. c. 5. n. 68.* Item Dian. *p. 8. tr. 4. resolut. 53.*

**Questio 507.** *An Capitulum sede vacante dare possit licentiam clericis beneficiatis transeundi ad aliam diocesim. v. g. dum eligerentur ad dignitatem, vel obtinerent beneficium alterius diocesis?*

**R** Esp. Non convenire AA. nam primò negativam tenet Fagu. in *c. bis quæ, de major. & obed. n. 59.* ubi: licentiam transeundi ad aliam ecclesiam Capitulum clerico impertiri non potest sede vacante. citat pro